

Disputatio medica de lienteria ... / Eruditorum examini submittit Henricus van Megen.

Contributors

Megen, Henricus van.
Boerhaave, Herman, 1668-1738.

Publication/Creation

Lugduni Batav : Apud Danielelem Goetval, [1714]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ebm2wx47>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
LIENTERIA.

Q U A M

Annunte Deo Opt. Max.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris

D. HERMANNI BOERHAAVE,
A. L. M. PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS, HU-
JUSQUE ET BOTANICES IN ACADEMIA LUGDUNO-
BATAVA PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

*Amplissimi Senatûs Academici Consensu, & Nobilissima Facul-
tatis MEDICAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis ritè
ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini submittit

HENRICUS VAN MEGEN,

Rotterod: Batavus.

Ad diem 9. Octôber 1714. horâ locoque solitis.

DANT PRÆMIA DIGNO.



LUGDUNI BATAV. apud DANIELEM GOETVALD

DISPUTATIO MEDICA
IN AUGUSTIS
DE
CELLENTHIA

D. HERMANNI BORRHAVE,
A. M. PHILOSOPHIE ET MEDICINAE DOCTORIS, HON.
JUSQUE ET POTESTATE IN ACADEMIA LUGDUNO-
BATAVA PROFESSORIS ORDINARIJ,

PRO GRADU DOCTORATUS
Candidatus in Medicina Honoraria, & Physiologiae
ac Iohannis consecretarius,

HENRICUS VAN MEGEN,
Kunstsch: Buitenv.
ad hanc d. Octobris 1714, a Ludovico

NOBILISSIMIS, GRAVISSIMIS,
SPECTATISSIMISQUE

D. HERMANNO VAN MEGEN,
APUD ROTTERODAMENSES IN ARTE PHAR-
MACEUTICA EXPERTISSIMO, PARENTI SUO,
OMNI AMORE ET OBSEQUIO VENERANDO.

D. BARTHOLOMÆO DE SWART,
PER AFFINITATEM PATRUO SUO OPTATISSI-
MO, TRIBUNO PLEBIS IN CIVITATE NEOMA-
GENSI DIGNISSIMO.

D. ABRAHAMO HELLENBROEK,
MYSTERIORUM DIVINORUM PRÆCONI IN
ECCLESIA ROTTERODAMENSI FIDELISSIMO,
FACUNDISSIMO. FAUTORI SUO MULTUM CO-
LENDO.

*Hanc Disputationem Inauguralem
eâ, quâ par est, Reverentiâ &
obsequio, Sacram facit*

HENRICUS VAN MEGEN.

NORIISSIMIS, ERNISSIMIS

SPECTATISSIMO

D. HERMANN VAN MEGEN

APUD ROTTERODAMENSES IN ARTE PHAR.
MAGNIFICA EXERTISSIMO, PARATI SUO
OMNI AMORE ET OSSEQUIO VENERANDO

D. BARTHOLOMAEO DE SWART

PER AFFINITATEM PATRIS SUO OPTATISSI
MO, TRIBUO PLEBIS IN CIVITATE NEOMA
GENSI DIGNISSIMO

D. ABRAHAMO HELLENBROEK

MYSTERIORUM DIVINORUM PRACONNI IN
ECCLESIA ROTTERODAMENSI FIDELISSIMO
FACUNDISSIMO, FAUTORI SUO MULTUM CO
LENDO

Henr. Dijkshoorn
et, qua per op. Roterodami
officina, Sacrum facit

HENRICUS VAN MEGEN

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

LIENTERIA.

1.



Uoniam ita cum Humanâ Oeconomia comparatum est, ut maxima morborum cohors à Secretionum, Excretionumque impedimento vel augmento oriatur, vitio solidi ac fluidi sæpe concomitante, libuit in hac Inaugurali Thesi perstringere illam Excretionem Stomachi & Intestinatorum auctam, quæ a Medicorum Patribus Lienteria vocatur.

2.

Lienteria vox Græca est, composita triplâ ex voce λῆον scil. læve, lubricum, ἔντερον Intestinum & ῥέω fluo, ita ut propriè denotet lubricum Intestinatorum fluxum interpretante Celso *libr. 2. cap. 7.* Lævitatem Intestinatorum: hinc recta Etymologiæ ratio patet, atque error quorundam manifestatur, qui perperam existimant, Lienteriam à lineâ dici, quia cibus quasi per lineam per Intestina prolabatur.

3.

Lienteria definiri potest, quod sit nimis celer alimentorum nihil vel parum mutatorum per alvum excretio: parum vel nihil dicimus, quia intuitu patet, assumpta alimenta, licet per Ventriculum & totum Intestinatorum tractum transgressa sint, ta-

men retinere eundem fere colorem eandemque fere formam, quales degluta habuerunt. Verum quidem est, assumpta aliquatenus mutata, & quandam alterationem passa esse, quia vix fieri potest, quin continuus intestinorum motus peristalticus, calor blandus & digestivus Viscerum, admistio Salivæ, Succī Gastrici, Pancreatici, Intestinorum imo & Bilis aliqualem & saltem levem alterationis notam iis impresserint: attamen ista mutatio tam levis est, ut vix vel ne vix quidem nomen mereatur.

4.

Præter Signum in definitione hujus morbi datum, quodque revera tanquam hujus mali Pathognomonicum habendum est, multa alia adhuc dantur, quæ hunc morbum concomitari solent, quæque licet omnia in omni Lienteriâ non occurrant, nihilominus singulatim colligenda & recensenda sunt, ut Causam Proximam inde postea deducamus & demonstramus, quomodo Curatio sit instituenda.

5.

Itaque præter excretionem assumptorum incoctorum & vix mutatorum materia quædam pituitosa ferè unâ semper deponitur, pondus sentiunt ægri inesse Ventriculo, & ingens ut plurimum adest cibi fastidium, subinde sed rarò vomitus, dolor nullus vel exiguus & gravativus observatur, rarissimè magnus & acerbus, interdum teste Riverio *libr. 10. cap. 4.* Mordicatio in Ventriculo sentitur, Calor in Hypochondriis percipitur, Sitis urget, & Dejectiones acres & biliosæ apparent, quibus addi potest urina aquea & chylosa: de borborygmis, rugitu & inflationibus conqueruntur ægri, durities & abdominis tumor observantur præprimis in principio, sitis & febris erratica non rarò adsunt: & tandem faciei & urinæ pallore, corporis extenuatione, Cachexiâ viriumque dejectione supervenientibus, mors tristem occludit scenam.

6.

Traditis itaque signis pathognomonicis atque iis, quæ alias affectiones sæpissimè concomitari solent, facillimè morbi differentia cognoscitur.

7.

Differt itaque in genere ab omnibus alvi fluxibus, quod in Lienteriâ assumpta per os non mutata dejiciantur.

In

In specie vero à Coeliacâ passione differt, quia in eâ alimenta magis imperfectè cocta & alterata per inferiora dejiciuntur, ad quem morbum referri potest Diarrhoea Chylosa, qui & Fluxus Chyli dicitur.

A Diarrhoeâ distinguitur, quoniam in illâ materia excrementitia, foetens, stercorosa, aquosa, viscida, variè colorata excernitur, ut plurimum ingenti cum Intestinorum dolore, qualia non in Lienteriâ.

A Dysenterîâ, quod in ea adest dolor magnus, contorquens, dejectiones cruentæ, & purulentæ, quæ in Lienteriâ locum non habent.

A fluxu Hepatico satis dignoscitur, quod in eo humores depositi serosi, sanguinei, & carniū loturæ per similes sunt; nam licet hoc in affectu nullus quoque observatur dolor, excrementa sola sufficiunt hosce affectus distinguere.

Sic etiam distinguitur Lienteria à Tenesmo, quia in illâ talis non observatur dolor circa podicem, neque excretiones mucosæ, cruentæ, & purulentæ sunt, ut in Tenesmo.

Et denique distinguunt Auctores nostrum morbum in Lienterîam levem, vel gravem, Idiopathicam & Sympathicam, in Epidemicam & Contagiosam.

8.

Ex præcedentibus videre facile est, partes quæ in Lienteriâ laborant, esse Ventriculum cum Intestinis: si verò quis quærat de primariâ parte affecta, existimo præcipuè affici Stomachum, quoniam manifestè ejus actio læsa dignoscitur per excreta alimenta nihil vel parum alterata, quæ primam subeunt alterationem in Ventriculo benè digerente, secundam in intestinis per Bilem, Succum Pancreaticum, & Motum Peristalticum, mixturâ, & pressione in statu sano, cum autem hæc alteratio intestinalis etiam in Lienteriâ cessat patet Secundariam etiam totum Intestinorum tractum esse partem affectam, quanquam ordipè præcedunt Intestina tenuia.

9.

Proximo ordinè nunc recensendæ & explicandæ veniunt hujus morbi Causæ, quarum cognitio Medicis felicitatem in praxi adfert, quasque in classes Medici, memoriæ sublevandæ gratiâ dividunt, atque adeò alias Remotiores sive Antecedentes & alias

lias Proximas vocant, illarum ergò Causarum

1. Est Aër austrinus calidus simulque nimis humidus vel frigidus, & nebulosus. Præprimis si hæc aëris constitutiones sibi subito succedunt, ut tempore autumnali, Teste Hippocrate. *libr. 3. Aphor. 22.* Ut & Aër malignus & corruptus, unde Lienteriæ ortum ducunt Epidemicæ, Teste Sennerto in Institut.

2. Abusus alimentorum viscidorum crudorum, humidorum, concoctu difficilium & nimis refrigerantium pinguium & lubricantium, quorum omnium Catalogus apud Medicos de alimentorum naturâ agentes videre est.

3. Potus copiosus nimis frigidus, præprimis æstuante corpore, ingurgitatio immodica infusionis Thee vel Caffee.

4. Motus & quies modum excedentia, ut & labor sudoriferus, exercitia immodica, præsertim statim post cibum assumptum, sic è contrario quies nimia, vita sedentaria, torpida, otiosa; symbolum suum conferunt.

5. Somnus diuturnus, immodicus, intempestivus, ut & vigiliæ nimix, & diutius protractæ.

6. Excretionum naturalium & solitarum Alvi, Urinæ, Menstrui, Lochiorum, Sudoris, Hæmorrhoidum, &c. suppressio, ut & eorum nimia evacuatio & excretio.

7. Tandem quædam Animi Pathemata diuturniora vehementia, ut tristitia, timor, aliaque ejusdem naturæ.

8. Hisce accedit naturalis, & hæreditaria ad hoc malum corporis proclivitas, sic hæreditaria fieri potest, si quis à parentibus alvi laxitati obnoxius, aut constitutione frigida, humida, pituitosa præditis natus sit, naturalem habeat dispositionem, qui ab incunabulis alvo laxâ, lubricâ, laboraverit, aut pituitosus humidus & debilis fuerit.

9. Tandem hic loci inter Causas Occasionales quidam morbi graves diuturni & acuti prægressi & præsentis numerandi sunt, sic Lienteria nonnunquam Dysenterix supervenit Hippocr. *Aphor. 76. sect. 7.* aut Lienosis Dysenteriam correptis *Aphor. 43. sect. 6.* sic in Febribus malignis alvi Fluxus Lientericus læpissime contingit Teste Riverio *lib. 10. cap. 4. &c.*

10.
Quis non videre potest recensitas in antecedenti causas in corpore humano creare & producere flacciditatem, debilitatemque ven-

Ventriculi, Intestinorum imo Universi Corporis, seu potius insignem & præternaturalem quandam Atoniam & relaxationem fibrarum motricum tunicæ carneæ Ventriculi & Intestinorum?

Præterea eadem memoratæ causæ producere valent vim humoris tenacis & pituitosi, primam viam ab ore ad anum usque obsidentis, Chylificationem & ciborum digestionem plane perturbantis atque impediens: Si enim, quod verum est, omnes Ventriculi & Intestinorum rugæ tali lentore obducuntur, lævitas & glabrities tunicæ internæ creatur, quibus accedit Pylori & Valvularum Intestinorum relaxatio, tandem accedente adaucto motu peristaltico, assumpta vix alterata facillimè è corpore rejiciuntur.

11.

Ex dictis patet quod Causa Proxima Lienteriæ à nobis habeatur Relaxatio fibrarum motricum Ventriculi & Intestinorum: Pituita & Lentor primas vias obsidentes: quibus annumerari potest incitatus & adauctus Intestinorum peristalticus motus.

12.

Ut igitur propositum nostrum breviter & methodicè prosequamur, præcipua Symptomata in Lienteria occurrentia explicanda sunt.

13.

Primum itaque Symptoma, quod præcipuum & essentiale hujus morbi signum est, constituit quod alimenta celeriter & parum vel nihil mutata per alvum excernantur: Constat unicuique Ventriculi munus esse assumpta tamdiu servare & retinere, usque dum perfectè & accuratè mutata, subacta & in speciem cremoris redacta sint, quo peracto, non subito sed pedetentim per pylorum ad intestina mittuntur, ut ille cremor Chymus dictus, in iis ulterius elaboretur, & parte fluidiori à vasorum lacteorum orificiis absorptâ, fæces tandem ad inferiora protrudantur.

14.

Hiscè positis inquirenda est Causa cur in Lienteriâ assumpta brevi per alvum deponantur, & vix in Ventriculo & Intestinis remorentur? Constat enim ex Anatomicis Stomachum esse Viscus quatuor tunicis præditum Peritoneo 1. à 2. Carnosâ, 3. Nervosâ, 4. Villosâ; & duobus præterea orificiis, dex-

B

tro

tro scilicet & sinistro, quorum finistrum superius dicitur, per quod alimenta recto & perpendiculari ductu in Ventriculi cavitatem descendunt; dextrum vero Pylorus, per quem alimenta subacta ad Intestina transmittuntur: Hoc Orificium Pylorus scilicet superiori est angustius, & fibris contractilibus præditum, quæ ipsum instar circuli ambiunt, & quasi Musculum Sphincterem constituunt, ut nihil nisi liquidiora transire valeant: Cæterum dictus Pylorus autopsiâ teste non perpendiculari, sed obliquo & longo ascensu in Duodenum terminatur.

15.

Ex datâ structurâ Ventriculi evidenter constat, quod nihil alimentorum assumptorum in statu sano ante per Janitorem seu Pylorum transmittatur, quàm benè subactum & in fluidam massam redactum sit; Cum enim motu continuo & contractili Ventriculi, incipiente ab orificio sinistro & terminante versus Pylorum, assumpta reiteratis vicibus ad hoc Stomachi orificium allidantur, & vi harum percussionum vis contractilis Pylori in eo superetur, ut pars liquidior assumptorum Pyloro proximè adjacentes eo momento elabatur, quo peracto & motu Ventriculi contractili cessante, tamdiu se constringit Pylorus, donec contractilis Ventriculi motus redintegretur, & eodem modo via egressura Chylo paretur, sed in Lienteriâ alimenta neque retineri in Ventriculo, & Intestinis, neque in Chymum transmutari possunt, ut insuper patet ex relatione Causarum, sed si quid humoris vasa lactea ingreditur incoctum crudum & aqueum est, quod Sanguinem ingressum nil nisi morborum lernam producere potest, quæ diuturnas Lienterías concomitari solet.

16.

Viso quomodo in statu sano alimenta in Chylum mutantur; Nemini mirum videbitur quare in Lienteriâ alimenta parum vel nihil mutata per anum rejiciantur: Si enim fibræ motrices Ventriculi, Pylori, & Intestinorum flaccidæ & relaxatæ sint, cibus motu Ventriculi, peristaltico, & continuâ Diaphragmatis depressione versus Pylorum protruditur, qui relaxatus & quasi Paralyticus non valet, sese coarctando, alimento protruso & nondum concocto resistere: Hinc cibus è Ventriculo primario Chylificationis organo vix mutatus in Intestina elapsus, in iis

neque mutari, neque diu retineri potest. 1. Quia ea tantum valent cibum benè coctum, & in cremoris speciem redactum ulterius elaborare, non verò inconcoctum & vix mutatum cibum subigere. 2. Quia Intestina eodem malo relaxatione sc. fibrarum laborant. 3. Quia obsessa sunt pituitosa & glabra materia.

17.

Reliqua Symptomata, quæ hunc morbum concomitari solent, & quæ §. 5. enumeravimus facilè intelliguntur & explicantur, quod enim cum alimentis crudis & indigestis ferè semper una deponatur *materia quadam pituitosa*, nullam aliam fit ob causam, quàm quod cibus, Intestinis pituita, ut diximus, sca- tentibus, partem quandam hujus pituitosæ & glutinosæ materiae abradat, & secum educat, hinc propter hujus saburræ abundan- tiam *egri pondus & gravitatem sentiunt inesse Ventriculo*, nullus in- terim observatur dolor, aut si quis adest valde est exiguus, propter humorum tenacitatem & inertiam: Si verò huic lentori accessie- rit quædam acrimonia, & pituita fuerit molestior, *Fastidium*, *Nausea*, imò *Vomitus*, & *Dolor* sequuntur.

18.

Borborygmi, *Ructus*, & *Flatus* ortum ducunt, ab humo- ribus pituitosis quadam acrimoniâ præditis, & in Intestinis hinc inde leves spasmos excitantibus, hinc aër in iis partibus conten- tus, interceptus, & rarefactus exitum quærit, & suâ vi elasticâ exploditur, leves hosce spasmos superando, quæ explosio, si circa orificium Ventriculi sinistrum fit, *Ructus*, si circa podi- cem *Flatus*, & in Intestinis *Borborygmi* producuntur.

19.

Durities & Tumor Abdominis observantur, quia pituita per to- tum Intestinorum tractum adeo accumulatur, ut temporis suc- cessu diras obstructions, & infarctiones creet non tantum in Intestinis, sed & in Mesentericis Vasis & Glandulis, unde tu- mor, distensio, & harum partium induratio sequuntur, ut eti- am in Rachitide puerorum aliisque morbis à glutinosa materiâ productis semper observatur.

20.

Sitis & Febris Erratica ortum ducunt à sanguine aliisque hu- moribus novo Chylo non reffectis & putredine alcalinâ, & acri-
B 2 moniâ

monia inquinatis, adde quod sanguis in hoc morbo etiam scattens particulis pituitosis non satis liber per vasa minima circulans, in iis obstructions pariat multas, unde per vasa majora magis fluens & refluens, eo celerius debet circulari, unde pulsus febrilis apparet.

21.

Faciei Pallor & Cachexia adsunt quod Chylificatione vitiata & subblata, imo corpore pituitosis humoribus scatente, omnes humani Corporis functiones summè læduntur, & circulatio sanguinis adeo vitiatur, ut in vasis minimis & capillaribus Viscerum, & Peripheriæ corporis diræ obstructions producantur, unde *Pallor faciei* producitur, *Nutritio* impeditur, *Corpus* extenuatur, *Vires* dejiciuntur, tandem *Mors* sequitur.

22.

Ut itaque ordine pergamus, & nostrum morbum exactè delineemus, de *Lienteriæ* Prognosi dicendum est, hunc morbum meritò inter morbos Chronicos recenseri, dum per satis longum tempus protrahi potest, cujus tamen longitudo vel brevitās, præsertim à Symptomatibus adjunctis, Naturā morbi, & Constitutione ægri dependent.

Hic Morbus attamen periculo plenus est, quia corpus naturali suo alimento destitutum, indies magis magisque fit debile, causā mali interim manente & accrescente, verum enimvero licet hoc in quovis subjecto verum sit, in senibus, in mulieribus imprægnatis, & in debilibus hominibus hoc malum longe est periculosius, quàm in juvenibus, & viris robusto corpore præditis.

23.

Quod ad ipsum attinet morbum; si ab inflammatione, ulcere, vulnere, aut veneno oriatur, difficulter sanatur, quia Venter, & Intestina in continuo sunt motu, & ab assumtis malum irritatum confestim sævit. Si à Malignitate quadam, prout ejus est indoles, ita est periculum: in initio longè facilius curatur, quàm si malum longā morā invaluerit: Si enim diu perseveraverit periculo est plenum, & facilè in Dysenteriam, Hydropem, & Tabem lethalem transit. Si est sequela Diarrhœæ, Cholæræ, Suppurationis cujusvis Visceris interni, plerumque lethalis esse solet, plerumque dico, quia non desunt exempla, Dy-

Dysenteriae levem supervenientem Lienteriam remedio fuisse : si Scorbuto inveterato, aut cuidam malo Chronico aut Acuto supervenerit, exitiosa esse solet : Si accedit Nausea & Vomitus, malum, si febris tunc est comes, pejus.

24.

Diuturnis Intestinorum laxitatibus ructus acidi supervenientes, qui prius non adfuerunt, bonum omen portendunt, Teste Hippocr. Aphor. 1. Sect. 6. Si è contra in principio morbi tales adfuerunt ructus nihil denotant, nisi quod acrimonia acida reliquis humoribus admixta prædominetur.

Si malum non diu duraverit, & graviora Symptomata concomitantia non habuerit, spes curationis affulget.

25.

Quare ut hic Morbus subjugetur & curetur remediis convenientibus tam Pharmaceuticis quàm Diæteticis, subjungenda nunc est medela methodica.

26.

Ante diximus in Lienteriâ peccare 1. Insignem laxitatem, debilitatem & resolutionem Pylori, aut universi Ventriculi, & Intestina eadem labe quodammodo infecta esse.

2. Demonstravimus pituitam lentam, tenacem, magnâ in copiâ universi Ventriculi & Intestinorum lateribus adhærere.

3. Vidimus huic malo se non raro acrimoniam adjungere, quæ est aut acida, alcalina, salina, biliosa, oleosa, aut alterius naturæ.

4. Notavimus inflammationem, ulcus, vulnus, aut simile quid in Ventriculo latitans, & ab assumpto Alimento, Medicamento, Veneno, aut à corpore duriori lædente, & vulnerante productum, nonnunquam causam Lienteriæ fuisse.

5. Adjunximus hoc in morbo ægros raris infestari Symptomatibus.

27.

Ex his itaque prudens Medicus facillè videt, quid sibi agendum, quomodo hæc causas, sive sejunctæ, sive compositæ sint, debeat tollere & Symptomatibus supervenientibus occurrere.

28.

In tali igitur Lienteriæ specie, ubi causa proxima est summa flacciditas & debilitas, pituitosâ materiâ adjunctâ quatuor erunt Indicationes.

B 3

1. Enim

1. Enim pituita & tenax materia incidenda: 2. Saburra è Ventriculo & Intestinis eliminanda. 3. Motus Ventriculi & Intestinatorum Peristalticus acceleratus, imò quandoque violentus sedandus atque sistendus est. 4. Primæ viæ corroborandæ atque confortandæ.

29.

1. Humores tenaces, lenti, & pituitosi attenuantur & inciduntur Medicamentis aromaticis, calefacientibus, carminantibus, stomachicis, cephalicis, diureticis, diluentibus, & ejusmodi aliis tum simplicibus, tum compositis, ut sunt ex Rad. Apii, Levistic. Petroselin. Angelic. Gentian. Galang. Helen. Acor. Imperat. Zedoar. Zingib. Cort. Cinam. Aurant. Winter. Lign. Guajac. Sassafras, Sem. Apii, Car. Fœnic. Levistic. Nastur. Sinap. Flor. Chamom. Croc. Lavend. Fol. & Herb. Cochlear. Origan. Rut. Menth. Rorism. Porro Aromata omnia, multaque alia. Inter composita Medicamenta numerantur Tinct. Antim. Metallor. Sal. Tartar. Myrrh. Bezoard. Elix. Propr. Parac. multaque alia. Profunt etiam Sapon. Venet. & Turcic. Salia omnia fixa ex Vegetabilibus præparata: ut & Sal. Tart. Ammoniac. ejusque Flores, Liquor. Nitri fixi, Tartari &c.

30.

2. Sic materiâ per Medicamenta præscripta coctâ atque dilutâ, de ejus evacuatione cogitare debet Medicus, & quidem 1. per vomitum, si vires consent & ægri constitutio non prohibeat, & tunc adhibeat Tartarum, Vinum Emeticum. Rad. Hypocacoan. 2. Materiæ peccantis evacuationem per alvum tentet, ut æger ab ore ad anum usque purgetur, atque eligat purgantia, quæ levi simul adstrictione gaudent, ut simul post evacuationem fibras relaxatas confortent, hinc probatur Rhabarb. leviter tostum, vel talia purgantia cum levioribus adstringentibus mixta, quæ sub variâ formâ propinari possunt: Clysteres hic parum profunt cum Ventriculus laboret: 3. Cum non rarò Lienteria spontè per Diuresin auctam curetur, non incongruum est diuresin promoventia aliis Medicamentis admisceri, præsertim in humidâ & pituitosâ constitutione, quo respectu etiam conveniunt. 4. In hoc morbo Diaphoretica atque Sudorifera profunt.

31.

3. Evacuatione instituta statim Medicus sollicitus sit oportet, de motu accelerato peristaltico sedando, cum in finem adhibeat Anodina, Narcotica atque adstringentia: ut Opium: Laud. Opiat. Tinct. Volat. Opiat. Deck. Theriac. Diascord. Frac. vel Sylv. Conf. Hyacinth. Syrup. Diaeod. vel Papav. quibus simul Symptomata urgentia sublevantur, hic tamen Medici prudentia emineat, ne alvus intempestive vel nimium sistatur.

32.

Hisce jam ritè peractis, reliquum est ut Ventriculus & Intestina corroborentur, vel ut eorum tonus restituatur atque retineatur, quæ indicatio internis & externis fit remediis: Ex internis in genere conveniunt modicè adstringentia simplicia vel composita, ut Rad. Torment. Bistort. Flor. Balauft. & Rosar. Rubr. Gran. Sumach, Bacc. Myrth. Succ. Hypocist. & Catechu: Fructus adstringentes, Lign. Santal. Rubr. Cort. Adstringent. Querc. Granat: ex quibus Tincturæ, Pulveres, Condita, Syrupi parari possunt pro intentione Medici.

2. Aromatica sale & oleo volatili prædita, ut Cinam. Nux Moschat. atque Stomachica calida, inter quæ excellunt Mentha, & Rad. Acori &c. quorum catalogus apud Practicos recensetur.

Externè Ventriculus & Intestina corroborentur per Fomenta, Linimenta, Cataplasmata, & Emplastra, quibus Practicorum Libri scatent, interim nobis sequens maximè placet.

24. Panem recentè ex clibano extractum & per medium dissectum, qui leviter super cratulam assuetur absque adustione, dein vino generoso rubro humectetur, inspergendo S. Q. sequentis pulveris, atque sic calidè regioni Ventriculi superimponatur, atque externo calore foveatur per horam, & repetatur singulis matutinis horis.

Formula pulveris hæc est.

24. Charioph.

Mac.

Nuc. Mosch.

Cinam. aa ʒʒ

Ol. Menth.

Cort. Citri.

Aurant. aa Gut. xxv

M. f. Pulv.

33.

33.

De Cura Lienteriæ Symptomaticæ, Contagiosæ & Epidemicæ, hic nihil addimus, ne hæc dissertatio in nimiam excrescat molem, quare ad Diætam perstringendam properamus. Sit itaque hæc causis prædictis contraria, atque vitentur laxantia & lubricantia alvum: Aër sit purus & serenus, corrigatur humidus & calidus suffumigiis aromaticis; Cibus sit paucus euchymus & eupeptus sub forma sicca, atque adeo carnes assæ elixis anteponendæ; Potus etiam paucus, vinum rubrum generosum, & cerevisia defæcata, ac Medicamentis supra nominatis parata leviter nempe adstringentibus atque aromaticis: Exercitia ad quietem magis quam motum vergant, atque adeo somnus sit, more solito longior. Denique sint ægri animo quieto & hilari, fugiant tristitiam atque præprimis iram, & vehementia quoque animi Pathemata, sed potius cuncta bono atque æquo animo ferant.

34.

Hic habes Lector Benevole brevem meam de Lienteriâ Dissertationem si quædam in illa sint, quæ Tibi minimè arrideant, aut propter ejus brevitatem, aut obscuritatem, æqui bonique consulas, obnixè rogo, brevitati enim studui, neque omnia brevi Disputatione pertractari possunt.

F I N I S.

